

Fol. CXLII

Petrus Schottus ad Euchariū Grof hug Ioannicā

An liceat Religiosis nutrire comas.

Urges ut scripto respondeam: duobus per te quesitis. Primo: num sine peccato possit: vir praesertim sacerdos: orare velato capite? Deinde: an consuetudini introductae in Monasterio regulari: ut fratres clerici tondeantur: auribus non totis patentibus: possint se tanta consciencia regulares eius loci conformare: non obstante c. non liceat ij. xxij. dist. ubi iubentur clerici esse patentibus auribus. Vellem profecto te consuluisse eos qui legum diuinarum periciores essent quam ego: nam ex eis videtur questionum difficultas dependere: praesertim prioris: quandoquidem Apostolus prima ad Corinthios. xi. capitulo: item Augustinus in libello de contemptu mundi: huic dubitationi occasionem: ut tu ipse afferebas: suppedirarunt. Verum quoniam sententiam meam audire desideras: non existimauerim me iuste id tibi posse negare: pro ea que ab ineunte etate inter nos contracta est amicitia. Proinde: nisi fallor: id ipsum quod tibi verbo responderam: iam ut scripto repetam: inductus sum & aliorum auctoritate & ampliori materiae discussione. Respondi siquidem: videri mihi consuetudinem in talibus: quae scilicet legi diuinae naturalique: aut bonis moribus non aduersaretur: multum posse: immo pro lege seruandam esse. Possem adducere innumera iura & leges: sufficiat c. illa. xij. dist. ubi Augustinus dicit. Quod enim neque contra fidem: neque contra bonos mores esse conuincitur: indifferenter est habendum: & pro eorum inter quos viuitur societate seruandum est. Atqui dices. Nonne legi diuinae contrahitur: qui Paulo dicenti. Omnis vir orans aut propheta velato capite: deturpat caput suum: non obediat &c. Certe si Scoto super tercio Sententiarum dist. vltima: & sancto Thome in prima secunde q. cvij.

B